

2 ¶ Secundo est notandum, quod quia Superior non dependet ab inferiori, sed potius inferior dependet a Superiori: hinc sequitur quod inuito Episcopo, & inuitis Plebanis potest Papa conferre auctoritatem iurisdictionis, cui cunque voluerit in toto Orbe. Immo potest etiam sibi reservare aliquos casus, a quibus non possint absolvere Episcopi, etiam suos subditos. Et similiter Episcopus potest conferre auctoritatem iurisdictionis absolvendi quoscunque sibi subditos in sua Diocesi cuicunque voluerit, etiam inuitis Plebanis, & potest sibi reservare aliquos casus a quibus non possint absolvere Plebani suos Parochianos. Et similiter Episcopus potest conferre auctoritatem iurisdictionemque absolvendi aliquem cuicumque voluerit.

3 ¶ Tertio est notandum ex Concilio Tridentino Sessio. 23. cap. 15. quod quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, nullum tamen etiam Regularem posse confessiones secularium [etiam Sacerdotum] audire, neque ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopo per examen [si illi videbitur necessarium esse] sit approbatus, aut certe
à Ge-